

Giovanni, vescovo di Grumento

G 44

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Giovanni, vescovo di Grumento

G 44

1144-05

Sicut iniusta poscentibus nullus est tribuendus effectus ita legitima desiderantibus non est differenda petitio.

Quapropter nostris clericis, scilicet domno Riccardo archidiacono nostro et domno Ursino nostro archipresbitero et domno Guilielmo et domno Vito et ceteris nos rogantibus quo domum aliquam in terra nostra dioceseos in sancto cenobio Sancte Trinitatis de Cava que sita est in loco Mitiliani, in qua domnus Falco nunc abbas preest, concederemus ut fratres eiusdem sancti predicti cenobii ex hac transeuntes seu redeuntes in illa haberent hospitium, nos Iohannes Dei gratia Grumentane sedis episcopus illorum orationibus annuentes una(m?) cum ipsis predictis concedimus ecclesie Sancte Trinitatis de Cava nostrorum predecessorum animarum redemptione et anime nostre nostrorumque posterorum remedijs animarum ecclesiam Sancti Petri Tramutule cum omnibus tenutis suis et possessionibus, casis videlicet, vineis, terris, arboribus fructiferis et infructiferis, montibus, silivis, aquis et cum stabilibus et mobilibus omnibus pertinentibus sibi, ut amodo in antea sit in potestate domni Falconis eiusdem sancte predictae ecclesie venerabilis abbatis et successorum suorum eam regere, gubernare et ordinare et quicquid ad eorum libitum placuerit faciendi ex ea, sine nostra seu successorum nostrorum contrarietate. Eo tenore videlicet ut per unumquemque annum in festivitate natalis Domini census ab eis nostre matri ecclesie episcopii Marsicy solvantur libra una cere et libra una incensi et porcus unus, et dum fuerit nobis opus bestie nostre et successorum nostrorum atque voluntas nostri ibidem receptentur. Et ut omni tempore hec nostra concessio remotione qualibet vel refragitione

nostri seu successorum nostrorum vel cuiuslibet hominis
secura permaneat, eidem sancte predicte ecclesie, cum
ecclesia nostri episcopi advocato Rogerio baculi
traditione legali hoc firmamus edicto, manibus domni
Iohannis Marsicy eiusdem ecclesie Sancte Trinitatis
monachi et cappellani eiusdem domni Falconis predicti
sancti cenobii venerandi abbatis recepta cum tunc
suo advocato Guilielmo Gualterii filio de civitate
Marsicy. Quicumque interea huius nostre concessionis
traditionis refragator seu temerator extiterit adversaries
excommunicationis vinculo se sciat esse plectendum nisi
resipuerit, observator autem benedictionis divine gratie
et vivifice crucis nostra propria manu subscripsimus
anno dominice incarnationis millesimo centesimo
quadragesimo quarto, mense madio, indictione septima.

Ego Iohannes Marsicanus episcopus # Ego Riccardus
archidioaconus # Ego Ursinus archipresbiter # Ego
Stefanus diaconus Sancte Marsicane ecclesie # Ego
Ildemannus diaconus # Ego Vitus presbiter canonicus
Ego Guilielmus sacerdos # Ego Petrus presbiter et
paramonarius.